Anno 1532. 24 Mai                                    Ex MS B 28

68

# Sigismundus Rex Poloniae Ferdinando Regi Romanor Ungariae

Serenissime Princeps. Perspeximus ex literis Mtis Vestrae Serenissimae magnae illi curae esse, negocium collocandae in Matrimonium Iunae Filiae Nostrae, primogenitae quod studium Mtis Vestrae Serenissimae, cum ab amicissimo illius erga Nos, erga vero Filium Vestram, Paterno animo profuisci cognoscimus, simul et letamur, tantum Nobis in hac parte mediatorem obtigisse, et singulares Mtis Vestrae Sue pro tam sincera et integerrima propensionis sue erga Nos declaratione agimus et habemus gratias, curabimusq vicissim, illi tantam erga Nos et liberos Nostros humanitatem et benevolentiam per omnem datam occasionem officiosse resesvre et promereri.

Ceterum quod scribit Mtas Vestra Serenissima se hac de re, cum Illustri Principe Domino Frederico Comite Palatino Rheni in Conventu Ratisbonensi tractaturus esse, nosq deinum de omnibus rebus certiores facturum et hoc gratissimo accepimus animo praestolaturi, citra Molestiam cepti ejus instituti eventum. Inquo si serio Nobiscum agetur et Nuncium huc ad postulandam et tractandam affinitatem

affinitatem mittentur, dabimus omnem operam ut quam maxime fieri poterit, et Mti Vestrae Serenissimae et Illustri Domino Frederico Comiti Palatino Rheni de Nostra facultate satis factum esse videatur. Commendamus Nos amori et benevolentiae Fraternae Majestatis Vestrae Serenissimae, quam cum suis Omnibus felicissimam esse et in multos Annos recte sanam etc. Cracoviae 24 Marcii Anno Domini 1532.